

a sinceritate in verbo Dei revelata deflectentem, sed posthabito rationis dominio unice ipsi adhaerentem, cum averfatione et reiectione omnis perversionis evangelii, quocunque etiam sanctimoniae fucō illitae et pictae: nec minus *Subiectivam*, ex unico verae doctrinae fonte, nullo vero modo ex lacunis impurae rationis aut revelationis fictae et ementitae hauriendam, sed unice doctrinae Apostolicae de Christo crucifixo pro nobis, et quae cum illa proxime et remote cohaerent, innitentem, ipsiusque meritum praevia sufficienti notitia ac non fluctuante, sed pleno, assensu apprehendentem. Intra hanc regulam ac metam dicit Apostolus capite praecedenti sese apud ipsos continuiffe, non vero *εἰς τὰ ἄμετρα*, *in enormia*, καὶ ἀλλότριον κανῶνα, *canonem illegitimum* se immisiffe, more spirituum vertiginosorum, quibus solenne sit, non modo *ἀμαρε τὰ ἄμετρα*, et *nullis normis* adstringi velle, verum etiam ubique procedere *κατὰ τὸ μέτρον τῆ κανῶνος*, *adversus omnes metas et repagula*, soli libidini inspirationis extraordinariae, de qua gloriantur, litando et obsequendo, *1. Cor. X, 12. sqq.* Et sic procedendo, eo rem auspicio Numinis Paulus perduxerat, ut Corinthiorum coetus ab ipso non solis verborum blandimentis, quae procul aberant, sed re ipsa declararetur *pro ecclesia Dei, ecclesia sanctorum 2. Cor. I, 1. omnibus bonis et donis abundanter exornata 1. Cor. I, 6. 7.* ipsorumque corda *pro epistola Christi a se conscripta 2. Cor. III, 3.* de quibus multa et gloriosa praedicare posset *2. Cor. VII, 4.* summatim ut dicamus, pro tali coetu, in qua verbum Dei pure et orthodoxe proponeretur, Sacramenta ex institutione Christi incorrupte administrarentur, fructusque horum beneficiorum se per sanctimoniam infucatam in plerisque exerent, tametsi omnia omnino scandala, quavis etiam industria adhibita, expurgari non potuerint.

III. Gau-